



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

1. Boca.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

Somonæ fluvij, An. Christi 660. à Bathilde, Saxonici generis heroina, Clodovæi 2. Francorum regis conjuge fundato, ex quo in novam *Corbeiam Saxonicam* ad Visurgim Ludovicus Pius ejus fundator religiosorum hominum colonias deduxit. Quod Ioannes Trithemius ex Henrico de Hervordia annotavit, & vita S. Adelardi Corbejenfis Abbatis apud Bollandum 2. Januarij. pag. 107. & 117. confirmat.

10. HVXARIÆ DICIT IVS PADIBORNA TVÆ. *Huxaria.* (in cujus confinijs *Brunisberga*) à Letznero in Chron. Corbejen. cap. 67. 68. 69. 70. descripta, quamvis in ditione Corbejenfi sit sita; attamen ad ecclesiasticam sive sacram jurisdictionem Paderbornensis Episcopi pertinet; sedes illic Archidiaconalis præter *Huxariam, Albaxen, Tedelsheim, Brenckhausen, Erckelen, Luchtering, Boiffsen, Corbey, Holtzminnen, Oldendorp villam & oppidum, Meenbersen, Homborch, Heinhufen, Otberge, Beveren* complectitur. ex vetust. MS.

11. QVÆ SI POSTERITAS SERVASSET FOEDERA. Diversissimus religionis in Paderbornensi & Corbejenfi ditione status. In Paderbornensi solius Catholicæ fidei cultus floret vigetque; in Corbejenfi Lutheri opiniones prævalent, Corbejenfis Abbatis in tuendis sacris impotentiâ, & per controversam à Corbeja, impeditamque Epif. Paderb. officio illic suo, si liceret, functuri ordinariam jurisdictionem multum certè stabilitæ ac propagatæ.

## BOCA AD LVPPIAM.

**B**OCA. Brunisbergam castra Caroli M. prælium cum Saxonibus in transitu Visurgis, & diuturna obfidio

fidio ; *Bocam* non minus ejusdem hospitium, pax & religio, ab Astron. in Annal. rerum gest. à Carolo M. apud Reubertum. Auctore vitæ Caroli M. edit. à Pithæo. Adelmo. Poëta Anonymo. Regione. & literis antiquis commemorata commendant, & dignam monumento reddunt.

2. AD LVPIAM. Vbi etiamnum arx, vicus & præfectura *Boca* appellata superest: verisimiliter fuit castrum, de quo Astronomus. *Eresburgo castro, quod dirutum erat, restaurato, aliòque castello super Lippiam exstructo, & in utroque non modico presidio relicto, ipse in Galliam reversus.* Quamvis Henricus de Hervordia, quem sequitur Rolevincius, *Vechtelar* appellatum scribat; quod ubinam sit, & unde hauserit, equidem ignoro: *sanctæ* deinde memoria *BADVRADVS* Episcopus Paderbornensis ossa *B. Landolini*, cujus honori dicatum templum *Boca* hodieum exstat, è diœcesi Cameracensi translata *Boca* collocavit; quæ ad annum usque 1101 religiosè asservata. Paucis annis ante, Monasterium ordin. S. Benedicti super eadem sacra ossa Erpo Comes de Padberg, consilio & adjutorio Henrici de Werle Paderbornensis Episcopi, inchoavit. *In nomine domini. Erpo dictus Comes in Patberg ad notitiam omnium fidelium pervenire desideramus, quod nos ad honorem Domini nostri Iesu Christi, & sanctæ ejus Genitricis Virginis Mariæ, & super reverenda ossa beati Landolini confessoris, quæ sanctæ memoriæ Baduradus Paderbornensis Episcopus de diœcesi Cameracensi transtulit, & in loco, qui dicitur BOCA integraliter deportavit, novellam plantationem religionis S. Benedicti construximus super fluvium, qui dicitur Lippia; quod opus structurae meæ consilio & adjutorio Domini Henrici Paderbornensis Episcopi incæptum, Comites de Niche minis & terroribus, ne perficeretur, impedierunt, asserentes se*